



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij
Francisci Lamberti Auenionensis**

Lambert, François

Argentorati, 1525

VD16 B 3868

Pars Qvarta. Quarto, aduersum Palestinam seu Philistæos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35983

COMMENTAR. CAPVT I.

ad se conuertit. **Maledictus uero**, qui sic non conuertia-
tur. Conuertere nos domine ad te, & mox uere conuerte-
mur, ne disperemus, sed seruemur & glorificemus no-
men tuum in secula.

P A R S Q V R R T A.

Hæc dicit dominus Deus: Super tribus scele-
ribus **Gazæ** & super quatuor, nō conuertam
eum, eo quod transtulerint captiuitatem per-
fectam, ut concluderent eam in Idumæa.

Gaza est regia Philisteorum ciuitas, idcirco per eā
Philistei capiuntur. Ni proinde non fuerunt domi-
no cōuersi, sed in suis iniquitatibus derelicti, quod
integrā Israēlis captiuitatem, in Idumæa concluserint.
Quidam putant hoc intelligendum, de his quæ Philistei
fecerunt filiis Israēl fugientibus, posteaquam ductæ fue-
re decem tribus in **A**ssyrios, sed si tempus prophetiae ui-
deatur, quod nō possit ita intelligi, mox agnosceretur. Ali-
ter ergo capietur, nempe, quod dum ab hostibus filiis Is-
raēl male tractarentur, nonnulli fugiebant, & ipsi Phi-
listei, rapiebant quotquot poterant ex populo Israēl, &
eos uendebant Idumæis in seruos et ancillas, sicq; eos qui
fugerant, ne ab alijs captiuantur, apud Idumeos capti-
uos faciebant, quod erat perficere captiuitatem, & con-
cludere illos, quorum potius tum misericordia oportuit. Ob id

Deus

FRANC LAMB IN AMOS

Deus misericors & iustus, qui omnem malignitatem & crudelitatem, summe abominatur, dicit se non conuersum illos, à grauissimis & eisdem multis sceleribus, que per tria & quatuor intelligit. Super enim, hoc loco, pro à, uel ab, aut de præpositionibus capitur. Sic & Hier. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super, id est, à malo, quod cogitauit, ut facerem ei. Et paulopost. Pœnitentiam agam super bono, hoc est à bono. Igitur nō conuersti super sceleribus, est ab eisdē nō resipiscere. O plagam crudelissimam, nō conuersti à criminibus suis, quod nō est aliud, quam indurari & excœari, ac in tentationē induci. Hæc est plaga, qua primum reprobos damnat, ne conuersi salui fiant. Abyssus impenetrabilis iudicia tua domine.

Obserua, quod tametsi, ut liquet Roma & induratio aliquorum speciales causas, nullus hominum ad signare possū (de specialibus diximus, quod Dei invariabile decreto omnium generalem causam esse, sit certissimum) Deus tamen ipse qui iudiciorum suorum causas intelligit, in hoc Prophetæ, speciales quorundam gentium causas paucis ostendit.

Nam primum Damascum, id est, Syriam, cuius Metropolis erat Damascus, à suis criminibus se non conuertisse, ideoque indurasse ait, quod in Dei populum, qui erat in terra Galaad crudelissime descuierit, ut scias quod odium Ecclesiæ dei, & ueritatis, multis est causa quod à dominio relinquuntur.

Secundo

COMMENTAR. CAPVT I. 16

Secundo, Philisteos deseruit, quod adflitorum ex Israël non fuerint miserti, quin potius eisdem addidere afflictionem, oblitus omnis humani affectus ac miserationis.

Tertio, par i ratione indurata fuit Tyrus, qua & Philisteia, nempe, quod miserti non fuerint adflitorum. Additur quoq; alia, quod nō sint recordati fœderis fratrum. Quod quemadmodum adcipi debeat, paulopost uidebimus.

Quarto, indurauit & non conuerit Edom ob perpetuas inimicitias, ut agnoscas, odium pietati ac charitati summe obponi.

Quinto, non traxit ad se, sed deseruit filios Amon, ob auaritiam, crudelitati iunctam, que nullatenus conuenire possunt cum gratia Dei.

Sexto, non fuit conuersus sed induratus Moab, ob inimicitias & odium, etiam in mortuos. Nam incendit ossa Regis Idumeæ &c.

Ceptimo, Iuda non conuersus, sed induratus fuit, ob diuinæ legis contemptum, & ueri dei cultus abiectionem.

Octavo, Israël induratus fuit, ob crudelitatem in proximos, idololatriam, ac quod soli carni & sanguini hæreditat, quod infra clarius erit.

Adhortor autem lectorem in domino, ut omnino nihil dubitet, has fuisse speciales causas, propter quas isti indurati sunt, & tamen nō putet propterea se capere, quomo do uere sint cause. Icimus enim, quod nihil eorum propter quae indurati fuere, perpetraſſent, si dominus eos suo ſpi ritu

FRANC. LABM. IN AMOS

ritu efficaciter retinere uoluiſet. Noc ſpectat ad intacceſſibilem dei iudiciorum abyſſum, & diuinæ maiestatis ſcrutationem, in quam irrumpeſtes, opprimuntur. Credamus ergo præscriptas gentes, perinde ut dei ſcripta habent, fuſſe excœcataſ, & iuſtiſſime quidem, etiam ſi modum percipere non ualeamus, oremusq; domini misericordia am, ut donet nobis ſpiritu ſuum, quo hæc eadem toto corde uitemus, hoc eſt, non in hypocriſi & mendacio, ſed in re et ueritate. Oremus quoq; ut ſi in aliquod iſtorum decidiſmus, non propterea nos reprobet à pueris ſuis.

Et mittam ignem in murum Gaze, & deuorabit ædes eius, & disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem ſceptrum de Aſcalone, & conuertam manū meam ſuper Acharon, & peribunt reliquiae Philiſtinorum, dicit Dominus Deus.

Prior Philiſtinorum punitio, eſt induratio: ſecunda, eſt eorum externa euersio, que hic prædicta fuit. Speciaſliter autem agit de quatuor insignium urbium Philiſteorum deſtructione. Nam ex igne & potiſſimo hostium impetu, Gaze murus, & palatia atq; domus, abſumpta & uastata fuere, Azotus, Aſcalo et Acharon, deo iudicante deſolata ſunt, iuxta uerbum domini.

Adiicit autem reliquias Philiſteorum interituras, qui paſſim inculcat Iſraēlis reliquias fore ſaluantidas. Ni mirum quemadmodū Iſraēl Eccleſiæ ſanctorum, ita Philiſtei & aliae gentes Iſraēli aduersæ, Eccleſiæ reproborum typum g runt.

COMMENTAR. CAPVT I. 17

gerunt. Propriissime autem solæ ex Israële reliquie, cum cæteris altarum gentium electis ad dei Ecclesiam spectat, & his saluos non fieri impossibile est, Philisteorum aut reliquie ac reliquarum gentium reprobi, ad diaboli synagoga pertinente, & hi nullatenus salui fieri possunt.

P A R S Q. V I N T A.

Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor, nō conuertam eum, eo quod concluserunt captiuitatem perfectam in Idumea, & non sunt recordati fœderis fratrum. Et mittam ignem in murū Tyri, & deuorabit ædes eius.

Inculcatur paſsim, deum istud dixisse, ut nemo dubitaret ea implendi, quod fieri nunquam possum, ut sermons Dei, qui ueritas est, & mentiri non potest, oportune neutquam impleantur.

Sermo ergo domini est aduersum Tyrum, quod non sit conuertenda, sed deserenda in suis tribus & quatuor, id est, grauissimis, & eisdem multis sceleribus, donc & igne & grauissimo bello absuntur atque uastetur.

Cause due sunt: Prima, quod sicut prædiximus de Philisteis, Israelitas fugientes, ne captiui ad hostes ducentur, ipsis fauentes hostibus rapiebant, & uendebant Idumeis, in seruos & ancillas, aut alioqui eos tradebant

C in manus